An. et vol. XXXXIII 11 Augusti 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: In sollemni canonizatione Beatarum Aemiliae de Vialar et Mariae Mazzarello, Virginum, p. 529 - Constitutiones Apostolicae, p. 533 - Litterae Apostolicae, p. 547 - Epistula, p. 548 - Allocutiones, p. 550 - Nuntius radiophonicus, p. 558.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii:* I. II. Decreta, p. 561 - *S. C. Consistorialis:* I. Instructio, p. 562. II. Epistula, p. 565. III. Provisio Ecclesiarum, p. 567.

Acta Tribunalium: *S. R. Rota:* Citationes edictales, p. 569.

Diarium Romanae Curiae: Udienze solenni - S. C. dei Riti: Congregazioni varie - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, pp. 571-576.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · LI

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 4

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 vel $ 0,25

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIII, n. 12 – 11 Augusti 1951)

ACTA PII PP. XII

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE
BB. AEMILIAE DE VIALAR
ET MARIAE MAZZARELLO, VIRGINUM
(diei 24 Iunii 1951)

PAG.

Proclamatio 529
Homilia 530

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. DE AMBANJA. *Ad potioris dignitatis.* – Praefectura Apostolica de Ambanja in Vicariatum Apostolicum eiusdem nominis extollitur. – 8 Martii 1951 533
II. PITTSBURGENSIS (Greensburgensis). *Ex supremi apostolatus.* – A Dioecesis Pittsburgensis territorio pars seiungitur, quae in novam erigitur dioecesim, Greensburgensem nuncupandam. – 10 Martii 1951 535
III. GUATIMALEN. *Omnium in catholico orbe.* – Nova constituitur ecclesiarum circumscriptio in Guatimala et novae eriguntur dioeceses, nempe Zacapensis, Jalapensis in Guatimala, Sololensis et S. Marci in Guatimala atque Administratio Apostolica ad nutum S. Sedis, El Petén. – 10 Martii 1951. 537
IV. SANCTAE MARIAE (Passofundensis). – *Si qua dioecesis.* – Dioecesis S. Mariae bipartitur et nova erigitur Dioecesis Passofundensis. – 10 Martii 1951 . . 541
V. CANADENSIS CENTRALIS. *De Ruthenorum.* – A Canadensis Centralis Exarchatus territorio pars seiungitur et novus erigitur Exarchatus Apostolicus, cui nomen: Exarchatus Apostolicus, pro fidelibus Ruthenis provinciae Saskatchewan. – 19 Martii 1951 . . 544

LITTERAE APOSTOLICAE

Ad Christifidelium salutem. – In Philippinarum Insularum Republica Nuntiatura Apostolica erigitur. – 8 Aprilis 1951 547

EPISTULA

È certo ben noto. – Ad Em̃um P. D. Clementem S. R. E. Cardinalem Micara, Episcopum Veliternum. Pro-Praefectum S. Congregationis Rituum, Ss̃mi D. N. Papae in Urbe Vicarium Generalem: de novo Statuto dato Consociationi Italicae a Sancta Caecilia. – 2 Giugno 1958 548

ALLOCUTIONES

I. Ad Exm̃um Virum César Coloma Silva, Oratorem extra ordinem liberis cum mandatis Aequatorianae Reipublicae, Summo Pontifici Litteras publicas porrigentem. – 18 Iunii 1951 550
II. Ad Exm̃um Virum Walter Roberts, Angliae Legatum extra ordinem liberis cum mandatis, Summo Pontifici Litteras publicas porrigentem. – 23 Iunii 1951 552
III. Iis qui adfuerunt Conventui internationali catholicorum, Romae habito, ad dignam ruricolarum vitae condicionem provehendam. – 2 Iulii 1951 554

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Puellis sodalibus ab Actione Catholica Hispaniae, ob Conventum Nationalem Matriti coadunatis, quina lustra ab orta ipsarum sodalitate celebrantibus. – 1 Iulii 1951 558

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

I. Decretum. – 12 Iulii 1951 561
II. Decretum. – 25 Iulii 1951 561

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. Instructio. De Vicariis Castrensibus. – 23 Aprilis 1951 562
II. Epistula. Ad Em̃os PP. DD. Cardinales atque Exc̃mos PP. DD. Archiepiscopos, Episcopos ceterosque Ordinarios Hispanicae Ditionis. – 2 Iunii 1951 565
III. Provisio Ecclesiarum 567

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales:

I. *Romana.* – Nullitatis matrimonii (Grossi-Brosowic). – 30 Iunii 1951 569
II. *Bugellen.* – Nullitatis matrimonii (Salerno-Perino). – 6 Iulii 1951 . . . 570

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienze solenni 571
II. Sacra Congregazione dei Riti: *Varie* 571
III. Segreteria di Stato: *Nomine* e *Onorificenze* 572

An. et vol. XXXXIII 11 Augusti 1951 (Ser. II, v. XVIII) – N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE

BEATARUM CAELITUM AEMILIAE DE VIALAR ET MARIAE DOMINICAE MAZZARELLO, VIRGINUM, IN BASILICA VATICANA DIE XXIV MENSIS IUNII A. MCMLI PERACTA.

Ad postulationem instanter, instantius, instantissime *factam, per Advocatos Sacri Consistorii, a Viro Eminentissimo Clemente S. R. E. Card. Micara, Pro-Praefecto S. Rituum Congregationis, Revmus D. Antonius Bacci, Secretarius Litterarum ad Principes, Sanctitatis Suae nomine, haec respondit:*

Grande iam advenit horae momentum. Qui Iesu Christi vices in terris agit, decretorium oraculum editurus est. Superi laetantur; inferi contremiscunt; ac militans Ecclesia nova excipit incitamenta virtutum. Niveum praesertim virginitatis lilium, quod in sacris hisce virginibus intactum enituit, mortales omnes ad caelestia advocat suavissimeque allicit.

Tum Sanctissimus Dominus Noster, omnibus aperto capite surgentibus, Ipse sedens in Cathedra mitramque gestans, de plenitudine Apostolici ministerii solemniter sic pronunciavit:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum

An. et vol. XXXXIII 11 Augusti 1951 (Ser. II, v. XVIII) – N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

IN SOLLEMNI CANONIZATIONE

BEATARUM CAELITUM AEMILIAE DE VIALAR ET MARIAE DOMINICAE MAZZARELLO, VIRGINUM, IN BASILICA VATICANA DIE XXIV MENSIS IUNII A. MCMLI PERACTA.

Ad postulationem instanter, instantius, instantissime *factam, per Advocatos Sacri Consistorii, a Viro Eminentissimo Clemente S. R. E. Card. Micara, Pro-Praefecto S. Rituum Congregationis, Revmus D. Antonius Bacci, Secretarius Litterarum ad Principes, Sanctitatis Suae nomine, haec respondit:*

Grande iam advenit horae momentum. Qui Iesu Christi vices in terris agit, decretorium oraculum editurus est. Superi laetantur; inferi contremiscunt; ac militans Ecclesia nova excipit incitamenta virtutum. Niveum praesertim virginitatis lilium, quod in sacris hisce virginibus intactum enituit, mortales omnes ad caelestia advocat suavissimeque allicit.

Tum Sanctissimus Dominus Noster, omnibus aperto capite surgentibus, Ipse sedens in Cathedra mitramque gestans, de plenitudine Apostolici ministerii solemniter sic pronunciavit:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum

Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio; Beatam Aemiliam de Vialar et Beatam Mariam Dominicam Mazzarello, Virgines, Sanctas esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illarum memoriam quolibet anno die earum natali, Aemiliae nempe die vigesima quarta augusti, et Mariae Dominicae die decima quarta maii, inter Sanctas Virgines non Martyres pia devotione recoli debere. In nomine Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti.

HOMILIA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII,

Dum sacrarum virginum vitam recolimus, quas hodie in hac tanta maiestate rerum hominumque celebritate sanctitatis insignibus decoravimus, earum imprimis menti Nostrae occurrit christianae fortitudinis virtus, qua eaedem inde a tenera aetate omnia vincere enisae sunt, quaecumque arduum praepediebant iter ad evangelicam assequendam perfectionem ad eamque omni ope suis sodalibus inculcandam. Paternam relinquere domum, terrenae huius vitae gaudiis, quae vel in edita vel in humili fortuna sperare licet, volenti ac generoso animo vale dicere, nihil aliud optare, nihil petere, nisi Dei optemperare voluntati, qui eas ad grandia vocabat munera: haec omnia earum indolem ostendunt, quae, si ex natura fortis ac strenua fuit, fuit etiam superna gratia tam uberrime alita ac confirmata, ut mirandum in modum eniteretur.

Haec autem invicta animi fortitudo tum luculentissime in utraque virgine refulsit, cum opus fuit ut nascentes earum ductu moderationeque Communitates gravissimas omne genus difficultates eluctarentur ac superarent. Nullis enim neglectis cu-

ris, ac diuturnis exantlatis laboribus, litterarum ludi puellis educandis tenuioris praesertim condicionis multis in locis aperti sunt; eademque de causa collegia, opificia, pupillarum domus condita fuere. Praeterea sacrae utriusque Sodalitatis virgines, suae Antistitae inflammata caritate compulsae, angustiis, miseriis, aerumnis relevandis dederunt operam; ac corporum curandis morbis tam suavi agendi modo se addixere, ut saepenumero languescentes etiam infirmorum animos in spem erigerent melioris aevi potiorisque felicitatis. Neque id satis; sed tam Aemilia de Vialar, quam Maria Dominica Mazzarello, cum vehementer percuperent christianum nomen propagare, in longinquas etiam regiones, evangelica veritate nondum collustratas, suas filias miserunt, quae Missionalibus praesto essent, eosque in recta potissimum puellarum ac mulierum institutione summopere adiuvarent.

Quibus in multiplicibus rebus gravibusque inceptis illud peculiari modo mirandum est: sacrarum nempe harum virginum Antistitas, quamvis tantis distinerentur curis, sollicitudinibus, laboribus, quamvis tot periculis, angustiis, difficultatibus opprimerentur, nihil tamen umquam amisisse serenae illius suavisque tranquillitatis, quae innata quasi dos videbatur earum animi.

At innata omnino non erat; sed caelitus insita, sed superna alita gratia, sed incenso erga Deum, erga proximos amore confirmata ac salidata. Cum Divino enim Redemptore arctissime perpetuoque coniungebantur; quandoquidem cum eo familiariter colloqui eumque vehementer adamare iisdem in deliciis erat. Ex hac vero flagranti caritate vis praepotens eliciebatur, cui omnia vincere ac superare facile erat.

Id optime quidem aureus ille de imitatione Christi libellus explicat, in quo haec leguntur, intenta meditatione digna: « Magna res est amor, magnum omnino bonum; quod solum leve facit omne onerosum,[1] et fert aequaliter omne inaequale.

[1] Cfr. Matth. XI, 30.

Nam onus sine onere portat, et omne amarum dulce et sapidum efficit.

Amor Iesu nobilis ad magna operanda impellit, et ad desideranda semper perfectiora excitat...

Nihil dulcius est amore, nihil fortius, nihil altius, nihil latius, nihil iucundius, nihil plenius, nihil melius in Caelo et in terra; quia amor ex Deo natus est,[2] nec potest, nisi in Deo, super omnia creata quiescere.

Amans volat, currit, et laetatur; liber est, et non tenetur.

Dat omnia pro omnibus, et habet omnia in omnibus; quia in uno summo super omnia quiescit, ex quo omne bonum fluit et procedit ».[3]

Multa habet saeculum hoc nostrum, quae ex pulcherrimis hisce ac salutaribus sententiis discat; multa, quae ex sancte vivendi exemplis harum virginum imitanda suscipiat. Homines hodie nimio saepius ab aeternis bonis ad fluxa et caduca deflectunt, in eademque se misere ingurgitant, quasi terrenae huius vitae voluptates sua ipsorum possint infinita explere desideria. Atque adeo id evenit ut subsequentium rerum varietate eventuumque vicibus perpetuo agitentur, utque mentes animique eorum idcirco semper inquieti fiant, quia in Deo, eum adamando, non requiescant. Cum vero — quod non raro accidit — ad virtutem et ad proba facinora iter difficilius evadit, undenam ii possunt necessariam vim fortitudinemque haurire, si cum caelestis gratiae fonte sitienter non cohaereant? Facile decidunt ac concidunt; cumque hac de causa eorum voluntates enervatae iaceant, non ad excelsa enituntur, sed ad ima potius infeliciter dilabuntur.

Omnes igitur, quotquot adestis, atque omnes etiam, qui longe absentes, vel radiophonicae artis ope haec verba Nostra quasi praesentes auditis, vel eadem aliquando per commentarios relata lecturi eritis, mentem animumque vestrum ad lucem convertite, quae a Sanctis hisce Caelitibus refulget, et ad

[2] Cfr. Ioan. IV, 7.

[3] *De Imitatione Christi*, III, 5.

superna tam vehementer vos invitat. Pro certo habeatis nihil esse hac in mortali vita virtute pulchrius, nihil amabilius, nihil magis frugiferum. Christiana namque virtus turbidos animi motus coërcet ac dirigit, voluntates temperat, et ad fortiter recteque agendum compellit; in anxitudine dat quietem, in laboribus solacium, in tempestatibus serenitatem, et in apostolatus operibus, quae hodie praesertim non ad clerum solummodo pertinent, sed una cum eo ad laicorum etiam ordinem, studiosam illam impertit alacritatem, quam adipiscenda animarum salus ab omnibus postulat.

Hoc impetrent hae Sanctae Caelites a bonorum omnium datore Deo; ita quidem ut quasi sacrum ver novum hac in misera terra efflorescat; omnesque, suo cuiusque officio fideliter obtemperantes, intimae illius tranquillitatis lumine fruantur, quae quasi species sit atque auspicium sempiternae aliquando assequendae beatitatis. Amen.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DE AMBANJA

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE AMBANJA IN VICARIATUM APOSTOLICUM EIUSDEM NOMINIS EXTOLLITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad potioris dignitatis gradum iure meritoque solet Apostolica Sedes provehere quamlibet inter ethnicos enascentem Ecclesiam, quae Evangelii praeconum apostolico labore non mediocres quoad religionem et christifidelium numerum profectus susceperit. Quod quidem, ob sedulas Ordinis Fratrum Minorum Capulatorum Missionalium curas, in Praefectura Apostolica de Ambanja nunc esse factum laeto animo accepimus. Quare, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Fidei Propagandae consilio, Praefecturam illam ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem extollere statuimus. Sup-

pleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, re mature perpensa ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Praefecturam Apostolicam de Ambanja in insula de Madagascar ad Vicariatum Apostolicum erigimus et constituimus, iisdem servatis finibus; illumque eorumdem sodalium Ordinis Fratrum Minorum Capulatorum sollertibus curis, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, concreditum volumus. Novo itaque huic Vicariatui Apostolico eiusque pro tempore Praesulibus omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus Apostolici eorumque Antistites iure communi fruuntur, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et decernimus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Harum vero Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam provectionis, erectionis, constitutionis, commissionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die octava mensis Martii, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*
Ioseph Caprio, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 25 – Al. Trussardi.

II

PITTSBURGENSIS
(GREENSBURGENSIS)

A DIOECESIS PITTSBURGENSIS TERRITORIO PARS SEIUNGITUR, QUAE IN NOVAM ERIGITUR DIOECESIM, GREENSBURGENSEM NUNCUPANDAM.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ex supremi apostolatus munere, Nobis, licet immerito, divinitus commisso, illud quoque sollicite curare debemus, ut, si qua exstet dioecesis territorii amplitudine et fidelium frequentia praestantior, ita ut ab uno vel vigilantissimo Pastore regi nequeat, illa dispertiatur et nova exinde dioecesis constituatur alteri concredenda Antistiti. Quo moti consilio, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Consistorialibus Negotiis praepositorum consulto, venerabilis Fratris Hamleti Ioannis Cicognani, Archiepiscopi titulo Laodicensis in Phrigia et in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Delegati Apostolici, postulationem excipiendam duximus, qua, habita favorabili sententia dilecti Filii Nostri Dionysii S. R. E. Cardinalis Dogherty, Archiepiscopi Philadelphiensis, et venerabilis Fratris Ioannis Francisci Dearden, Episcopi Pittsburgensis, ab Apostolica Sede poscebatur ut territorii pars ad diocesim Pittsburgensem modo spectans seiungeretur, ut exinde nova dioecesis constitui posset. Quapropter Nos, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel aliorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, ad christifidelium bonum satius provehendum eorumque necessitatibus, pro locorum adiunctis, aptius consulendum, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, a dioecesis Pittsburgensis amplissimo territorio quatuor comitatus civiles vulgo *Armstrong, Indiana, Westmoreland* et *Fayette* seiungimus, quorum territorium in novam erigimus et constituimus dioecesim, quam *Greensburgensem* appellandam decernimus, a comitatus *Westmoreland* urbe principe, vulgo *Greensburg,* in qua sedem episcopalem figimus. Templum vero Ssmo Eucharistiae Sacramento dicatum, in hac urbe exstans, ad Ecclesiae Cathedralis dignitatem evehimus; huic itaque et pro tempore Episcopis Greensburgensibus iura omnia, honores, insignia et privilegia attribuimus, quibus ceterae per orbem cathedra-

les Ecclesiae earumque Praesules iure communi gaudent; iisdem pariter oneribus et obligationibus astringimus, quibus ceteri locorum Ordinarii astringuntur. Novam hanc cathedralem Ecclesiam Greensburgensem suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Philadelphiensi, eiusque pro tempore Episcopos metropolitico subicimus iuri Archiepiscopi Philadelphiensis. Volumus porro ut donec Canonicorum Collegium cathedrale constitui nequeat, pro Canonicis Consultores dioecesani ad iuris tramitem eligantur et adhibeantur. Episcopalem novae dioecesis mensam Curiae emolumentis et fidelium oblationibus, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, constitutam volumus. Mandamus insuper ut quam primum fieri poterit dioecesanum seminarium saltem parvum iuxta sacros canones et normas S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus erigatur. Quoad autem attinet ad dioecesis istius regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quoad vero ad clerum peculiariter spectat, statuimus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur ascripti, in cuius territorio legitime degunt. Volumus denique ut documenta omnia et acta, quae novam dioecesim eiusque clericos et fideles respiciunt, quamprimum fas erit, a Cancellaria dioecesis Pittsburgensis Curiae tradantur dioecesis Greensburgensis. Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Delegatum Apostolicum deligimus vel eum qui in exsecutionis actu eidem Delegationi praesit, eidemque facultates necessarias et opportunas concedimus etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum et illi onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem quamprimum authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum transmittendi. Praesentes autem Litteras firmas, validas, efficaces esse et fore omnesque suos plenos et integros effectus obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari; id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus. Harum vero Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, sigilloque viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini vero

hanc paginam seiunctionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die decima Martii mensis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Albertus Serafini, *Proton. Apost.*
Ioseph Caprio, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 59 - Al. Trussardi.

III

GUATIMALEN.

NOVA CONSTITUITUR ECCLESIARUM CIRCUMSCRIPTIO IN GUATIMALA ET NOVAE ERIGUNTUR DIOECESES, NEMPE ZACAPENSIS, JALAPENSIS IN GUATIMALA, SOLOLENSIS ET S. MARCI IN GUATIMALA ATQUE ADMINISTRATIO APOSTOLICA AD NUTUM S. SEDIS, EL PETÉN.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Omnium in catholico orbe Ecclesiarum sollicitudo, Romano Pontifici divinitus commissa, postulat ut dioecesium circumscriptiones, illarum potissimum, quae territorii amplitudine et christifidelium frequentia praestant, ita immutentur ut, aucto Pastorum numero, facilius ac salubrius dominici gregis regimini consuli possit. Quo moti consilio Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Consistoriali praepositorum consilio, favorabilibus auditis sententiis venerabilium Fratrum Mariani Rossell et Arellano, Archiepiscopi Guatimalensis, Georgii García Caballeros, Episcopi Altensis, et Raymundi M. Martín, Episcopi de Vera Paz, oblatis Nobis precibus, quibus venerabilis Frater Ioannes M. Aemilius Castellani, Archiepisco-

pus titulo Pergensis et in Republica Guatimalensi Nuntius Apostolicus, enixe postulavit ut de nova dioecesium circumscriptione ac de quattuor cathedralium Ecclesiarum atque unius Administrationis Apostolicae erectione decerni possit, lubenti animo annuendum censuimus. Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, aliorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, primo quidem ab archidioecesis Guatimalensis territorio provincias civiles vulgo *Zacapa, Chiquimula, Izabal, Jalapa, El Progreso, Retalhuleu* et partem, quae ad eam pertinet, provinciae vulgo *Mazatenango* vel *Suchitepéquez;* a dioecesis autem Altensis territorio provincias civiles vulgo *San Marcos, Huehuetenango, El Quiché, Sololá* et reliquam partem quae eam contingit provinciae vulgo *Mazatenango* vel *Suchitepéquez;* a territorio porro dioecesis de Vera Paz civilem provinciam vulgo *El Petén* atque municipium vulgo *Morazán* seiungimus. Qua dioecesium seiunctione peracta, novas erigimus dioeceses *Zacapensem, Jalapensem in Guatimala, Sololensem* et *S. Marci in Guatimala* nuncupandas, et insuper Administrationem Apostolicam ad nutum S. Sedis, cui nomen erit *El Petén.*

Proinde archidioecesis Guatimalensis posthac intra fines continebitur civilium provinciarum vulgo *Guatemala, Santa Rosa, Escuintla, Sacatepéquez* et *Chimaltenango.*

Dioecesis Altensis amplectetur fines civilium provinciarum vulgo *Quezaltenango, Totonicapán* et *Retalhuleu.*

Dioecesis de Vera Paz finibus coartabitur provinciarum civilium *Alta Vera Paz* et *Baja Vera Paz* finibus, nuper a civili potestate constitutis.

Dioecesis Zacapensis complectetur provincias civiles *Zacapa, Chiquimula* et *Izabal;* episcopalem vero sedem in urbe *Zacapa* statuimus et templum Deo in honorem Divi Petri, Apostolorum Principis, ibi exstans dicatum ad cathedralis Ecclesiae gradum evehimus.

Dioecesis Jalapensis in Guatimala territorio continebitur civilium provinciarum *Jalapa, Jutiapa* et *El Progreso,* prout istae nunc exstant, mutationibus allatis, circumscriptae. Eius episcopalem sedem in *Jalapa* urbe constituimus et templum Deo in honorem Exspectationis Partus B. M. V. dicatum ad Ecclesiae cathedralis fastigium elevamus.

Dioecesis Sololensis finibus comprehendetur civilium provinciarum *Sololá, El Quiché* et *Mazatenango* vel *Suchitepéquez.* Illius sedem Episcopi in *Sololá* urbe constitutam volumus et paroecialem Ecclesiam B. M. V. in Caelum Assumptae sacram, ibi exstantem, cathedralis titulo decoramus.

Dioecesis vero S. Marci in Guatimala binas continebit civiles pro-

vincias *San Marcos* et *Huehuetenango*. Episcopalem autem sedem in urbe vulgo *San Marcos* figimus et aedem in honorem S. Marci Evangelistae Deo dicatam ad cathedralis dignitatem extollimus.

Administratio tandem Apostolica *El Petén* ad nutum Sanctae Sedis territorium amplectetur provinciae vulgo *El Petén* nuncupatae. Novis quas diximus cathedralibus Ecclesiis eorumque pro tempore Episcopis iura omnia, insignia, favores et privilegia largimur, quibus ceterae in orbe cathedrales Ecclesiae et earum Praesules iure communi pollent; eosdem item oneribus adstringimus et obligationibus, quibus ceteri ligantur Episcopi.

Decernimus insuper ut, quemadmodum dioeceses Altensis et de Vera Paz, ita et novae dioeceses Zacapensis, Jalapensis in Guatimala, Sololensis et S. Marci in Guatimala, suffraganeae sint metropolitanae Ecclesiae Guatimalensi, earumque pro tempore Episcopi metropolitico Archiepiscopi Guatimalensis iuri subiciantur. Ut vero in quas memoravimus novis cathedralibus ecclesiis divinus cultus eo qua par sit splendore exerceatur, in earum unaquaque constituendum statuimus Canonicorum Collegium iuxta normas per alias Apostolicas Litteras edendas; quamdiu vero iste Episcopi senatus desit, dioecesanorum consultorum coetus ad iuris tramitem eligatur et adhibeatur. Uniuscuiusque novae dioecesis mensam episcopalem constituent Curiae emolumenta et fidelium oblationes. Quod autem ad divisionem bonorum attinet, servandum iubemus praescriptum canonis iuris canonici 1500. Quoad vero ad singularum dioecesium quas modo ereximus regimen, administrationem, Vicarii Capitularis, sede vacante, electionem, clericorum et fidelium iura et onera aliaque id genus, adamussim servari iubemus quae sacri canones praescribunt. Novarum autem dioecesium singulis Antistitibus summopere curae sit minus saltem seminarium in unaquaque dioecesi constituere ad normam iuris canonici et secundum regulas a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus statutas, ut iuvenes in sortem Domini vocati in spem Ecclesiae instituantur. Decernimus insuper ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad effectum deductae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Praecipimus quoque ut omnia documenta et acta, quae novas dioeceses earumque clericos, fideles ac bona temporalia respiciunt, a Curiis Guatimalensi, Altensi et de Vera Paz ad Curias Zacapensem, Jalapensem in Guatimala, Sololensem et S. Marci in Guatimala, atque Administrationis Apostolicae El Petén quam primum fas erit transmittantur, ut in suis cuiusque tabulariis diligenter asserventur.

Ad vetustum denique Sanctuarium, cui vulgo nomen *El Señor de*

Esquipulas, in nova nunc dioecesi Zacapensi exstans, mentem Nostram volventes, quod eximio ac magnifico colitur cultu non modo ab oppidanis et finitimis populis, verum etiam a christifidelibus, qui piae peregrinationis causa ex dissitis quoque regionibus illuc confluunt; atque cupientes ut conspicui illius Sanctuarii splendor augeatur et decor, illud ab Ordinarii Zacapensis iurisdictione eximimus et peculiari regendum lege statuimus.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta perficienda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Guatimala Nuntium Apostolicum deligimus eidemque necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et ipsi onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem, authenticum exemplum quam primum transmittendi peractae exsecutionis actorum.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario

attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die decima mensis Martii, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis.

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 43 – Al. Trussardi.

IV

SANCTAE MARIAE (PASSOFUNDENSIS)

DIOECESIS S. MARIAE BIPARTITUR ET NOVA ERIGITUR DIOECESIS PASSOFUNDENSIS

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si qua dioecesis in nimium territorium sese extendat ac frequentiori christifidelium numero redundet, eam curat Apostolica Sedes dispertire et novam constituere dioecesim, vigilantis alterius Pastoris regimini concredendam. Qua moti sententia, Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Consistorialibus Negotiis praepositorum consilio, assentiente quoque venerabili Fratre Carolo Chiarlo, Archiepiscopo titulo Amideno et in Brasiliana Republica Nuntio Apostolico, perlibenter annuendum censuimus precibus, quibus venerabilis Frater Antonius Reis, S. Mariae Episcopus, ab Apostolica Sede postulabat ut suae dioecesis peramplo territorio septentrionalem partem seiungens, novam exinde erigere dioecesim decernat. Suppleto itaque, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, Nos, sacerdotum quoque alacritatem fideliumque commendatos mores praemio donare cupientes, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolica Nostra potestate, a dioecesis S. Mariae territorio sex civilia municipia, prout nunc exstant, seiungimus, quae

vulgo nuncupantur: *Passo Fundo, Carasinno, Sarandi, Getulio Vargas, Erechim, Marcelino Ramos,* dempta postrema istius parte illa, quae in dextera *Apuré* fluminis ripa exstat.

Territorium autem municipia ista comprehendens in novam erigimus et constituimus dioecesim *Passofundensem* appellandam; cuius idcirco fines erunt: ad septentrionem dioecesis Lagensis, *Uraguay* flumine circumscripta; ad orientem Praelatura *nullius* Vaccariensis, flumine *Apuré,* iam *Ligeiro,* definita, et archidioecesis Portalegrensis in Brasilia; ad meridiem et occidentem dioecesis S. Mariae. Novam hanc dioecesim Passofundensem suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Portalegrensi in Brasilia, eiusque pro tempore Episcopos metropolico Archiepiscopi Portalegrensis in Brasilia iuri subicimus; episcopalem autem sedem in urbe *Passo Fundo,* a qua dioecesis nomen mutuatur, figimus, quam proinde ad civitatis episcopalis gradum evehimus cum omnibus iuribus et privilegiis ad civitates episcopales pertinentibus; episcopi vero cathedram in ecclesia Deo in honorem B. Mariae *Apparecidae,* universae Brasilianae ditionis almae Patronae, dicata, in eadem *Passo Fundo* urbe exstante, constituimus, quam idcirco ad ecclesiae cathedralis dignitatem extollimus; eidemque et pro tempore Episcopis Passofundensibus iura omnia tribuimus, honores, insignia, privilegia, favores et gratias, quibus ceterae per orbem cathedrales Ecclesiae earumque Episcopi iure communi fruuntur, illosque pariter iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur.

Praeterea cathedralis Ecclesiae Passofundensis maiori decori et utilitati consulere cupientes, instituendum in ea decernimus Canonicorum Collegium iuxta normas Apostolicis Litteris edendas. Quamdiu vero dioecesis Episcopi senatu carebit, pro Canonicis ad iuris tramitem dioecesani consultores eligantur et adhibeantur. Episcopalem mensam constituent Curiae emolumenta et fidelium oblationes, in quorum bonum dioecesis ipsa constituta est. Volumus insuper ut quam primum fas erit minus saltem Seminarium iuxta sacros canones et S. Congregationis de Seminariis et Universitatibus traditas normas erigatur, ex quo electi iuvenes ad Pontificium Collegium Pianum Brasilianum de Urbe mittantur, ut sub fere oculis Nostris in spem Ecclesiae instituantur. Quod autem ad novae istius dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque id genus, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quód clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad effectum deductae fuerint,

eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Volumus denique ut documenta omnia et acta, quae novam respiciunt dioecesim eiusque clericos, fideles ac bona temporalia, a S. Mariae dioecesis Curia ad Passofundensem Curiam quamprimum transmittantur, in condendo cancellariae tabulario diligenter asservanda.

Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, exsecutioni mandanda quem supra memoravimus venerabilem Fratrem in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum deligimus, vel illum qui in exsecutionis actu Nuntiaturae praesit, eidemque necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in eccleisastica dignitate constitutum, et ipsi onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem, cum primum fas erit, peractae exsecutionis actorum authenticum exemplum transmittendi.

Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario

attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die decima mensis Martii, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis.

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 51 – Al. Trussardi.

V

CANADENSIS CENTRALIS

A CANADENSIS CENTRALIS EXARCHATUS TERRITORIO PARS SEIUNGITUR ET NOVUS ERIGITUR EXARCHATUS APOSTOLICUS, CUI NOMEN : EXARCHATUS APOSTOLICUS PRO FIDELIBUS RUTHENIS PROVINCIAE SASKATCHEWAN.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

La empresa es ardua, pero vuestro ánimo es mucho y la gracia de lo alto, debidamente implorada y merecida, nunca os faltará. Como prenda de ella y como testimonio de Nuestro afecto paternal os damos, hijas amadísimas, Nuestra Bendición Apostólica, con la intención de bendecir no sólo a vosotras y a vuestras familias, sino también a todas las ramas de la gran familia de la Acción Católica, a todos cuantos en el apostolado cooperan con ella, a todos los que en estos momentos oyen Nuestra voz o están presentes en esa plaza y en ellos a todo el amadísimo pueblo español.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

I

DECRETUM

Feria IV, die 27 Iunii 1951

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, Emi ac Revmi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem Librorum Prohibitorum inserendam mandarunt dissertationem P. Leonis Seiller, O. F. M., in ephemeride « Franziskanische Studien » (Münster in Westf., 1948-49) editam, sub titulo « *La psychologie humaine du Christ et l'unicité de personne* ».

Et sequenti feria V, die 28 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. Pius Divina Providentia Pp. XII, in solita audientia Excmo D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et publicandam iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 12 Iulii 1951.

Marinus Marani, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

II

DECRETUM

Feria IV, die 18 Iulii 1951

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii Emi ac Revmi Domini Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, examinatis actis et documentis quae spectant ad assertas visiones B. M. V. in vico Heroldsbach, archidioecesis Bambergensis, praehabito RR. DD. Consultorum voto, decreverunt: « Constare praedictas visiones non esse supernaturales; proindeque prohiberi relativum cultum in loco supradicto et alibi exhibitum; sacerdotes vero qui eidem illicito cultui in posterum interfuerint, incurrere ipso facto suspensionem a divinis ».

Et sequenti feria V, die 19 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. D. Pius Divina Providentia Pp. XII, in solita audientia Excmo Dño Adsessori Sancti Officii impertita, relatum Sibi Eñorum Patrum decretum approbavit, confirmavit et publicandum iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 25 Iulii 1951.

Marinus Marani, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

INSTRUCTIO

DE VICARIIS CASTRENSIBUS

Sollemne semper exstitit huic Apostolicae Sedi ut generales Ecclesiae leges ab omnibus, ubique, sancte et religiose, quantum fieri posset, servarentur; ob peculiaria tamen rerum homĭnumque adiuncta aliquando novae normae ad consulendum novis fidelium necessitatibus edicendae esse videntur.

Ideoque haec quae sequuntur S. Congregatio Consistorialis iuri communi, quatenus opus sit, derogando, decernit:

I. Qui Vicarii Castrensis munus gerit ordinaria at speciali praeditus est iurisdictione in spirituale bonum commissorum fidelium exercenda.

II. Iurisdictio qua fruitur Vicarius Castrensis est personalis, in subditos nempe extenditur dumtaxat, qui in Consistoriali Decreto erectionis sui cuiusque Vicariatus Castrensis recensentur, etiam si iidem in militum stationibus et in locis militibus peculiariter adsignatis, commorentur.

Vicarii Castrensis iurisdictio non est exclusiva, ideoque personas, stationes ac loca militibus reservata (idest: militaria contubernia, navalia armamentaria, aëroportus, nosocomia militaria, etc.) ab Ordinarii loci potestate minime subtrahit: quae iurisdictio nullo modo exemptionem, nec munus cappellani militum a dioecesi excardinationem parit.

Quibus tamen in locis Ordinarii locorum et parochi in subditos Vicariatus Castrensis potestatem tantum secundario exerceant: necesse

est proinde foedere quodam opera iungantur et concordia duce actiones et functiones agantur praesertim extra militum septa.

III. Domicilium canonicum non agnoscitur nisi dioecesanum vel paroeciale.

Pro causis vero subditorum Vicariatus Castrensis sive contentiosis inter ipsos sive criminalibus Vicarius Castrensis tribunal aliquod dioecesanum vel metropolitanum semel pro semper, ab Apostolica Sede adprobandum, designat.

IV. Quoties nova aedificia militibus peculiariter adsignanda, vel naves vel aëroplana benedicenda sunt, et in ceteris huius generis casibus, haec servatur norma:

si coeremonia a militum ducibus edicitur, benedictionem impertit Vicarius Castrensis: quo impedito, Ordinarius loci in quo coeremonia est adparata, ab ipso Vicario Castrensi praemonitus, iure proprio benedictionem dat;

si vero coeremonia a civilibus magistratibus edicitur, unus loci Ordinarius est competens.

V. Vicarius Castrensis certiores faciat Ordinarios locorum de Cappellanis qui in eorum dioeceses mittuntur vel ab eisdem abscedunt.

VI. Libros baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum et defunctorum secundum usum ab Ecclesia in Rituali Romano probatum conscriptos (Tit. XII, I-IV) Vicarius Castrensis custodiendos statuat vel in Archivo generali Vicariatus Castrensis vel in Archivo, si adsit, Cappellanorum militum, imposita tamen obligatione ad Curiam Vicariatus Castrensis eorumdem librorum authenticum exemplar transmittendi in fine cuiuslibet anni, ad normam Can. 470, § 3 C. I. C.

VII. Vicario Castrensi facultas est conficiendi, *Ordinem Divini Officii recitandi sacrique peragendi* ad usum Cappellanorum militum, quatenus adiuncta suadeant, sarctis tectisque communibus Ecclesiae legibus, normis praesertim Constitutione *Divino afflatu* die 1 mensis Novembris anni 1911 (*A. A. S.*, a. III, 1911, pagg. 633-651), et Motu Proprio *Abhinc duos annos* die 23 Octobris anni 1913 (*A. A. S.*, a. V., 1913, pag. 449) datis, necnon Instructionibus edictis vel forte edicendis a Sacrorum Rituum Congregatione. Quo Ordine uti possunt Cappellani militum ubicumque in commodum militum celebrantes et Sacerdotes litantes in Ecclesiis aut in Oratoriis militibus reservatis.

VIII. Vicarius Castrensis Facultates quinquennales, necnon decennales in locis ubi concedi solent, ut ceteri locorum Ordinarii obtinere potest.

IX. Vicarius Castrensis de actis ac de statu Vicariatus, tertio quoque anno, huic S. Congregationi relationem exhibere tenetur.

X. Unusquisque Cappellanus militum in exercenda cura animarum sibi a Vicario Castrensi commissarum, meminerit se adstringi muneribus et obligationibus parochorum, congrua congruis referendo.

XI. Cappellani militum sicut et Vicarius Castrensis minime tenentur obligatione applicandi Missam pro populo; si vero stipem vel notabile emolumentum ex officio percipiant, Vicarius Castrensis imponere eis valebit ut Sacrificium Missae applicent saltem diebus Can. 306 C. I. C. statutis; quod et ipsi sit norma.

XII. Qui Sacerdotes in officium Cappellani militum cooptantur, « insignis sanctitatis fulgore praeluceant, sintque digni ministri Christi, fideles dispensatores mysteriorum Dei, efficaces Dei adiutores ad omne opus bonum instructi » (Pius PP. XII, Adhort. *Menti Nostrae, A. A. S.*, a. XLII, 23 Sept. 1950, pag. 658) ita ut impigre paroeciale quasi munus perficiant vocationis afflatu incitati, et quod praecipuum est, pro animabus militent ut tanquam viva e forma Christi apostolatus relucescat.

Ad rem quod attinet, Vicarius Castrensis adhortationem SSmi Domini Nostri perspectam habeat:

« Vos adhortamur, Venerabiles fratres ut, quantum fieri potest, inexpertos adhuc sacerdotes in medias ne ingeratis operas, nec eos assignetis locis vel ab urbe dioecesis principe vel a celebrioribus eius oppidis remotis. In huiusmodi enim vitae statu si versarentur segreges, imperiti, periculis oppositi, a magistris prudentibus inopes, incommoda procul dubio ipsi capere eorumque alacritas possent » (Adhort. *Menti Nostrae*, l. c. pag. 692).

XIII. Optimi expertique ad officium Cappellani seligantur etiam Religiosi sacerdotes, servatis tamen peculiaribus normis pro iisdem a S. C. negotiis Religiosorum praeposita datis, qui vero, si fieri potest, locis destinentur ubi ipsorum Religionis domus habeatur.

XIV. Cappellani habitum ecclesiasticum secundum legitimas locorum consuetudines deferant, nec militarem induant nisi ministerii suadeant labores aut leges imperent civiles, adhibito tamen peculiari signo ecclesiastici officii.

Item, si mores ferant, semper tonsuram sive coronam clericalem ad normam sacrorum canonum gestare debent.

XV. Ut autem complendae divinae voluntatis voto et desiderio moveantur Cappellani oportet ut spiritus orationis minime in eis languescat vel torpeat. Adsiduum iis praebeant alimentum cum Eucharisticum Sacrificium devote actum, tum ea omnia quae, diuturno usu comprobata,

quam maxime eo adducunt ut hominum animi a culpis abstineant, et virtutes solidiores appetant: quae inter spiritualia exercitia principem obtinere locum omnibus est compertum.

XVI. Apostolatus formae rationesque, per Cappellanos apte instructos et conformatos, provehantur quae hodie ob peculiares christiani populi necessitates tanti sunt momenti tantaeque gravitatis.

XVII. Studeant Cappellani militum collationibus seu conferentiis interesse quae habentur, ad normam Can. 131 C. I. C., in dioecesi in qua commorantur.

XVIII. Vicarius Castrensis dat litteras testimoniales eis qui, quum stipendia meruerint, ad Religionem ingrediendam vel ad Sacros Ordines aspirant, quotiescumque ad normas sacrorum canonum requiruntur litterae testimoniales Ordinarii loci.

Praesentem instructionem SSmus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. XII, audita relatione infrascripti Cardinalis S. C. Consistorialis a Secretis, ratam habere dignatus est, et publici iuris fieri iussit. Contrariis quibusvis non obstantibus etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 23 Aprilis 1951 in natali S. Georgii Martyris.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis.*

L. ✠ S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor.*

II

EPISTULA

AD EMOS PP. DD. CARDINALES ATQUE EXCMOS PP. DD. ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS CETEROSQUE ORDINARIOS HISPANICAE DITIONIS.

Divinum persequens mandatum fidelibus praestandi aeternae salutis adiumenta, singulis quibusque necessitatibus opportune obviantia, Apostolica Sedes, ut compertum est, cum Hispanicae Nationis magistratibus pactum nuper est restipulata de iurisdictione Vicariatus Castrensis Hispanici, necnon de spirituali copiarum cura catholicorum sacerdotum ope aptius gerenda.

Quorum sacerdotum munus haud esse leve neminen latere potest cum in castris, in militum stationibus, in aëroportibus, in navalibus armamentariis, in nosocomiis ad ardua quaevis agenda debeant esse parati.

Ad copias insuper ii adiunguntur, ut pietatis adiumenta militibus

praestare satagant, nonnumquam in religiosa institutione pene rudibus vel de iis, quae ad animos spectant, parum sollicitis, praesertim quum iuvenibus, utpote vigili parentum obtutu immunitis, primo arridere potest malesuada effrena libertas.

Quibus in adiunctis profecto accomodata videntur praeclara illa: « ostium apertum est magnum et evidens » (*I Cor.*, XVI, 9): messis etenim copiosa nunc parata.

Ut autem novus hic ordo salutaribus fructibus reddatur opimus, ac ne « vituperetur ministerium nostrum » (*II Cor.*, VI, 3) oportet ut sacerdotes, qui ad munus cappellani militum deputantur, doctrina, pietate ac animarum zelo conspicui divinaeque gloriae studiosi, idonei sint ad tradendas militibus vitae christianae normas et apostolatus praestanda subsidia, temporum necessitatibus accomodata.

Haec Sacra Congregatio spem fovet huiusce causae momentum catholico sensu perspectum iri ab unoquoque loci Ordinario ita ut sollicitudo, quam pro sua quisque exercet dioecesi, a communi animarum commodo minime seiungatur.

Ideoque meminerint Episcopi animarum Pastores, tunc pastoralis ministerii opus impleri, si Vicario Castrensi libenter praesentare ac concedere velint nonnullos sibi subiectos sacerdotes, aptis quidem virtutibus exornatos, quibus Ille rite exercere valeat spiritualem militum curam, quos inter unicuique Praesuli nonnullas oves de concredito sibi grege annumerare fas erit.

Minime autem ambigendum quin Ordinarii locorum Hispanicae Ditionis, ea qua pollent navitate, Sanctae Sedis vota et hortamenta adimplere contendant.

Quae si ad rem deducantur confidere libet Hispanicam iuventam, nullo salutis auxilio destitutam, spiritualem profectum in dies suscepturam et civili simul ac christianae societati uberrima quaeque allaturam Pastorum quidem Pastoris divina favente gratia.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis Consistorialis, die 2 Iunii 1951, in festo Sancti Eugenii Papae.

✠ Fr. A. I. Card. Piazza, Ep. Sabinen, et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

Iosephus Ferretto, *Adsessor*

III

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum :

die 28 Maii 1951. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Tyanensi praefecit R. D. Bernardum Ioannem Alfrink, ex archidioecesi Ultraiectensi, Consultorem Pontificiae Commissionis Biblicae et professorem Exegeseos Veteris Testamenti in Universitate Noviomagensi, quem constituit Coadiutorem Emi ac Revmi P. D. Ioannis S. R. E. Cardinalis de Jong, archiepiscopi Ultraiectensis.

die 29 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Nuscanae R. D. Guidonem Casullo, praepositum parochum ecclesiae S. Ioannis Baptistae in civitate Arianensi.

— Titulari episcopali Ecclesiae Bencennensi R. D. Loras Thomam Lane, Vice-cancellarium Curiae archiepiscopalis Dubuquensis, quem constituit Auxiliarem Exc. P. D. Henrici Patricii Rohlman, Archiepiscopi Dubuquensis.

die 3 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Seguntinae, R. D. Paulum Gurpide Beope, canonicum Capituli Cathedralis et Vicarium Generalem dioecesis Pampilonensis.

die 11 Iunii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Hierapolitanae in Syria Exc. P. D. Leonem Iacobum Ossola, hactenus Episcopum Novariensem.

die 14 Iunii. — Cathedralibus Ecclesiis Faliscodunensi et Acquipendiensi, *in personam* unitis, R. D. Aloisium Boccadoro, Antistitem Urbanum, Praepositum-Parochum Ecclesiae S. Siri loci « San Remo », dioecesis Ventimiliensis.

die 20 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae S. Andreae et Edimburgensi R. D. Gordon Gray, rectorem Seminarii Minoris loco « Blairs ».

— Cathedrali Ecclesiae Aberdonensi R. P. Franciscum Walsh, e Missionariis Africae.

die 25 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Edistianensi, R. D. Petrum Iosephum Rivera Mejia, parochum S. Rosae a Cabal, dioecesis Manizalensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Bernardi Botero Alvarez, Episcopi Sanctae Marthae.

die 29 Iunii. — Metropolitanae Ecclesiae Novae Segobiae, nuper

evectae, Exc. P. D. Iacobum Sancho, hactenus Episcopum Novae Segobiae.

— Metropolitanae Ecclesiae Cacerensi, nuper evectae, Exc. P. D. Petrum Paulum Santos, hactenus Episcopum Cacerensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Iarensi, nuper evectae, Exc. P. D. Iosephum Cuenco, hactenus Episcopum Iarensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Cagayanae, nuper evectae, Exc. P. D. Iacobum Hayes, hactenus Episcopum Cagayanum.

— Cathedrali Ecclesiae Novariensi Exc. P. D. Gillam Vincentium Gremigni, hactenus Episcopum Teramensem et Hatriensem.

die 2 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Mylasensi, R. P. Peregrinum De La Fuente, O. P., Superiorem Domus Ssmae Trinitatis Romae, quem constituit Praelatum « nullius » Batanensem et Babuyanensem.

die 5 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Aegaeae R. D. Gerardum Coderre, canonicum honorarium ecclesiae cathedralis Ioliettensis et moderatorem dioecesanum Actionis Catholicae, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Anastasii Forget, Episcopi Sancti Ioannis Quebecensis.

die 7 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Hiltensi R. D. Norbertum Forero, canonicum Capituli Cathedralis Tunquensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Raphaëlis Afanador et Cadena, Episcopi Neo Pampilonensis.

die 9 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Druensi R. D. Gulielmum Van Zuylen, Vicarium Generalem dioecesis Leodiensis, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Ludovici Iosephi Kerkhofs, Episcopi Leodiensis.

die 10 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Syedrensi R. D. Franciscum Xaverium Nuño, vice Cancellarium Curiae metropolitanae Guadalajarensis, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Ignatii Placencia et Moreira, Episcopi Zacatecensis.

die 13 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Verae Crucis, nuper evectae, Exc. P. D. Emmanuelem Pium Lopez Estrada, hactenus Episcopum Verae Crucis.

die 28 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Insulae Grandis R. P. Ioannem L. Paschang, Antistitem Urbanum, Officialem Curiae archiepiscopalis et parochum ecclesiae S. Crucis archidioecesis Omahensis.

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

ROMANA

NULLITATIS MATRIMONII (GROSSI-BROSOWIC)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dominae Annae Brosowic, in causa conventae, eandem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 3 Octobris 1951, hora 11.30, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus rotalis pro causae definitione.

An constet de matrimonii nullitate in casu?

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedictae Dominae Annae Brosowic curare debent, ut de hac edictali citatione ipsa moneatur.*

Pericles Felici, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 30 Iunii 1951.

Hugo Felice, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mme Anne Brosowic, défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma. Palazzo della Cancelleria) le 3 octobre 1951 à 11 heures et demi, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de la dite Anne Brosowic devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

II

BUGELLEN.

NULLITATIS MATRIMONII (SALERNO-PERINO)

Cum ignoretur locus actualis commorationis Dominae Laetitiae Perino, conventae in causa, eandem citamus ad comparendum, sive per se sive per procuratorem legitime constitutum, in sede Tribunalis S. R. Rotae (Roma, Palazzo della Cancelleria) die 15 Octobris 1951 hora 12, ad concordandum de dubio disputando, vel infrascripto subscribendum et ad diem designandam, qua habebitur Turnus rotalis pro causae definitione.

An constet de matrimonii nullitate in casu?

Ordinarii locorum, parochi, sacerdotes et fideles quicumque notitiam habentes de loco commorationis praedictae Dominae Laetitiae Perino curare debent, ut de hac edictali citatione ipsa moneatur.*

Emmanuel Bonet, *Ponens.*

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. Rotae, die 6 Iulii 1951.

Hugo Felice, *Notarius.*

* Etant inconnu le lieu de la demeure actuelle de Mme Letizia Perino, défenderesse en cette cause, nous la citons à comparaître, par propre personne ou par un procureur légitimement constitué, au siège du Tribunal de la S. Rote Romaine (Roma, Palazzo della Cancelleria) le 15 octobre 1951 à 12 heures, pour concorder ou souscrire le doute ci-dessous rapporté, et fixer le jour de la décision de la cause devant la Rote.

Conste-t-il de la nullité du mariage dans le cas?

Les Ordinaires des lieux, les curés, les prêtres, les fidèles ayant connaissance du lieu de la résidence de la dite Letizia Perino devront, dans la mesure du possible, l'avertir de la présente citation.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Lunedì, 18 giugno 1951, il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza il Dott. Cesar Coloma Silva, Ambasciatore Straordinario e Plenipotenziario della Repubblica dell'Equatore, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

Sabato, 23 giugno 1951, il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza Sir Walter Roberts, K. C. M. G., M. C., Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario di Gran Bretagna, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

Lunedì, 6 agosto 1951, il Santo Padre ha ricevuto in solenne Udienza Sua Eccellenza il Dottor Giuseppe Kripp, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario della Repubblica Federale di Austria, per la presentazione delle Lettere Credenziali.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 26 giugno 1951, nel Palazzo delle Congregazioni a S. Callisto, si è adunata la S. Congregazione dei Riti *antepreparatoria*, nella quale i Revmi Prelati Officiali ed i Revmi Consultori teologi hanno discusso sulla eroicità delle virtù della Serva di Dio Elena Guerra, fondatrice delle Oblate dello Spirito Santo, dette « Suore di S. Zita ».

Martedì, 24 luglio 1951, nel Palazzo Apostolico Vaticano si è adunata la S. Congregazione dei Riti *ordinaria*, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali ed i Revmi Prelati Officiali hanno discusso:

a) sulla introduzione della Causa di beatificazione e canonizzazione dei Servi di Dio:

1. Elena Bettini, fondatrice dell'Istituto delle Figlie della Divina Provvidenza;

2. Maria Rosa Molas y Valvè, fondatrice della Congregazione di Nostra Signora della Consolazione;

b) sulla riassunzione della Causa di canonizzazione del Beato Oliviero Plunket, martire, Arcivescovo di Armagh, Primate d'Irlanda.

È stata inoltre esaminata la relazione sugli scritti del Servo di Dio Gerolamo Jaegen.

Martedì, 31 luglio 1951, nel Palazzo delle Congregazioni a San Callisto si è adunata la Sacra Congregazione dei Riti *antepreparatoria*, nella quale i Revmi Prelati Officiali e i Consultori teologi hanno discusso sulla eroicità delle virtù della Serva di Dio Maria Celina della Presentazione, Suora del Secondo Ordine di S. Chiara.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

14 giugno 1951. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Ruffini Ernesto, *Membro della Pont. Commissione per gli Studi Biblici.*

20 » » Il Revmo Padre Genovesi Vittorio, della Compagnia di Gesù, *Consultore della Sacra Congregazione dei Riti per le Cause di beatificazione e canonizzazione.*

Parimenti, con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

15 marzo 1951. Monsig. Kallarakel Giacomo, della diocesi di Changanacherry.

6 aprile » Monsig. Genco Giovanni, della prelatura « nullius » di Altamura.

Prelati Domestici di Sua Santità:

15 febbraio 1946. Monsig. Castex Giovanni M., dell'arcidiocesi di Toronto.

» » » Monsig. Cullinane Michele G., della medesima arcidiocesi.

» » » Monsig. Egan Guglielmo, della medesima arcidiocesi.

» » » Monsig. Kirby Gerardo G., della medesima arcidiocesi.

» » » Monsig. O'Connor Giovanni Martino, della medesima arcidiocesi.

11 ottobre 1949. Monsig. Leroux Andrea, della diocesi di Le Mans.
6 aprile 1950. Monsig. Dessa Alessandro, dell'arcidiocesi di Calcutta.
» » » Monsig. D'Souza Giovanni B., della medesima arcidiocesi.
12 maggio » Monsig. Mendes das Neves Emanuele G., dell'arcidiocesi di Loanda.
15 dicembre » Monsig. Wilson Gladstone O. S., del vicariato apostolico di Giamaica.
24 gennaio 1951. Monsig. Hartmann Gerardo C., dell'arcidiocesi di Utrecht.
27 » » Monsig. De Luca Bonaventura, dell'arcidiocesi di Chieti.
15 febbraio » Monsig. Brezanóczy Paolo, della diocesi di Cassovia.
» » » Monsig. Rambelli Giuseppe, della diocesi di Forlì.
21 » » Monsig. Selwanga Luca, del vicariato apostolico di Uganda.
16 marzo » Monsig. Herlihy Donal J., della diocesi di Kerry.
17 » » Monsig. Guglielmotti Pietro, della diocesi di Vallo della Lucania.
» » » Monsig. Pinto Alfredo, della medesima diocesi.
10 aprile » Monsig. Kushnir Basilio, dell'esarcato apostolico del Canadà centrale.
16 » » Monsig. Link Emerico, della diocesi di Cassovia.

Camerieri segreti soprannumerari di Sua Santità:

30 aprile 1950. Monsig. Cardijn Giuseppe, dell'arcidiocesi di Malines.
» » » Monsig. Devroede Giuseppe, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Leclef Edmondo, della medesima arcidiocesi.
» » » Monsig. Sempels Vittorio, della medesima arcidiocesi.
15 maggio » Monsig. Nunes Gabriel Emanuele, dell'arcidiocesi di Loanda.
8 luglio » Monsig. Op de Coul Francesco G., della diocesi di Ruremonda.
21 » » Monsig. Nolet Guglielmo, della diocesi di Haarlem.
24 dicembre » Monsig. Paganuzzi Quirino, della diocesi di Piacenza.
21 febbraio 1951. Monsig. Mukasa Paolo, del vicariato apostolico dell'Uganda.
» » » Monsig. Ngabo Pietro, del medesimo vicariato apostolico.
27 » » Monsig. Castellani Lorenzo, della diocesi suburbicaria di Palestrina.
» » » Monsig. Simeoni Agapito, della medesima diocesi.
9 marzo » Monsig. De Maio Luigi, dell'arcidiocesi di Sorrento.
» » » Monsig. Andreini Giovanni, della diocesi di Treviso.
15 » » Monsig. Kachiramattam Giovanni, della diocesi di Tiruvalla.
» » » Monsig. Nedungatt Matteo, della medesima diocesi.

17 marzo 1951. Monsig. Boccuti Salvatore, della diocesi di Vallo di Lucania.
» » » Monsig. Infante Gennaro, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Marrocco Francesco, della medesima diocesi.
14 aprile » Monsig. Valpondi Giovanni, della diocesi di Bertinoro.
» » » Monsig. Giuliani Giuseppe, dell'arcidiocesi di Ferrara.

Cameriere segreto soprannumerario di spada e cappa di Sua Santità:

12 marzo 1951. Il sig. conte Ceccopieri Francesco (Roma).

Camerieri d'onore in abito paonazzo di Sua Santità:

4 marzo 1951. Monsig. Marchi Giuseppe, della diocesi di Cesena.
16 » » Monsig. Sabatini Mario, della diocesi di Urbania e Sant'Angelo in Vado.
» » » Monsig. Silvestri Emilio, della medesima diocesi.
6 aprile » Monsig. Bruno Giovanni (Roma).
» » » Monsig. Gervasi Egisto (Roma).
» » » Monsig. Marcelloni Modesto (Roma).
» » » Monsig. Zampetta Vincenzo (Roma).

Camerieri d'onore soprannumerari di spada e cappa di Sua Santità:

11 marzo 1950. Il sig. Warland Ernesto, della diocesi di Bruges.
8 luglio » Il sig. Centra Ludovico (Roma).
25 febbraio 1951. Il sig. Giacomuzzi Luciano, dell'arcidiocesi di Udine.
28 » » Il sig. Flaiani Ottavio, della diocesi di Teramo.
2 marzo » Il sig. Benigni Enrico (Roma).
21 » » Il sig. Silvagni Mario (Roma).
27 aprile » Il sig. Gorthon Bo F., del vicariato apostolico di Svezia.

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

La Commenda dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

6 ottobre 1950. Al sig. Rottier Giuseppe M., della diocesi di Haarlem.
15 gennaio 1951. Al sig. Wieselgren Oscar, del vicariato apostolico di Svezia.
31 » » Al sig. Boylan Riccardo, della diocesi di Brooklyn.
8 marzo » Al sig. Bongaerts Massimiliano C. E., della diocesi di Haarlem.
30 » » Al sig. Betteloni Lorenzo Maria (Italia).

31 marzo 1951. Al sig. Remedia Giovanni, della diocesi suburbicaria di Porto e S. Rufina.
6 aprile » Al sig. Lamaro Vincenzo, dell'arcidiocesi di Bari.
» » » Al sig. Galli Ettore, della diocesi di Cremona.

Il Cavalierato dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

14 giugno 1950. Al sig. Estourgie Carlo, della diocesi di 's-Hertogenbosch.
16 luglio » Al sig. van Asten Guglielmo A., della medesima diocesi.
13 agosto » Al sig. Verbiest Gerardo, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Veeger Luca Antonio, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Sterenborg Teodoro, dell'arcidiocesi di Utrecht.
19 » » Al sig. Welters Francesco Saverio, della diocesi di Ruremonda.
26 » » Al sig. Mes Luigi Giovanni, della diocesi di Haarlem.
27 » » Al sig. Van Dijk Giuseppe A., della diocesi di Breda.
23 settembre » Al sig. Deiters Bernardo W. A., dell'arcidiocesi di Utrecht.
4 ottobre » Al sig. Schoenmaekers Gregorio, della diocesi di Haarlem.
6 » » Al sig. De Wit Giovanni Uberto, della diocesi di 's-Hertogenbosch.
18 dicembre » Al sig. Bouwman Leonardo, dell'arcidiocesi di Utrecht.
19 » » Al sig. Van Os Antonio Giuseppe M., della diocesi di Haarlem.
8 gennaio 1951. Al sig. van der Meer de Walcheren Pietro B. A. M,, della diocesi di Breda.
21 » » Al sig. Mann Enrico, dell'arcidiocesi di Utrecht.
8 marzo » Al sig. Batenburg Giovanni G., della medesima arcidiocesi.
16 » » Al sig. Migliarini Gaetano, della diocesi di Osimo.
30 » » Al sig. Arcaleni Roberto, della diocesi di Città di Castello.
10 aprile » Al sig. Zama Ignazio (Roma).

La Gran Croce dell'Ordine di san Silvestro Papa:

9 marzo 1951. Al sig. conte Guicciardini Paolo, dell'arcidiocesi di Firenze.

La Commenda dell'Ordine di san Silvestro Papa:

21 agosto 1950. Al sig. Veraart Giovanni A., della diocesi di Haarlem.
15 ottobre » Al sig. van den Eerenbeemt Ermanno, della medesima diocesi.
21 febbraio 1951. Al sig. De Nardo Giulio (Roma).
4 marzo » Al sig. Cardona Jaramillo Antonio (Colombia).

12 marzo 1951. Al sig. Foresti Riccardo (Roma).
13 » » Al sig. Barbieri Emilio, dell'arcidiocesi di Bologna.
» » » Al sig. Filippi Giorgio, dell'arcidiocesi di Torino.
16 » » Al sig. De Sanctis Enrico (Roma).
» » » Al sig. De Stefanis Gaetano (Roma).
17 » » Al sig. Biavati Vittorio, dell'arcidiocesi di Bologna.
28 » » Al sig. De Vita Manfredo (Roma).
30 » » Al sig. Varnero Giovanni, del vicariato apostolico di Eritrea.
31 » » Al sig. Beluffi Leonida, della diocesi di Pesaro.
» » » Al sig. Rettani Giuseppe, della medesima diocesi.
» » » Al sig. Romanini Enrico (Roma).
5 aprile » Al sig. Lovelli Alfredo, dell'arcidiocesi di Taranto.
6 » » Al sig. Colonna Ercole, dell'arcidiocesi di Bari.
» » » Al sig. Giacobelli Giacomo, della medesima arcidiocesi.
10 » » Al sig. Abbasciano Savino, della diocesi di Andria.
» » » Al sig. Aziz Khayat Vittorio, della diocesi di Tolemaide.
16 » » Al sig. Beni Prediliano, della diocesi di Tivoli.

Il Cavalierato dell'Ordine di san Silvestro Papa:

12 ottobre 1949. Al sig. Willemsen Arnoldo, della diocesi di Aquisgrana.
5 gennaio 1950. Al sig. Larcelet Giuseppe della diocesi di Langres.
» » » Al sig. d'Estaintot Roberto, dell'arcidiocesi di Parigi.
25 » » Al sig. Abry Giovanni Maria, dell'arcidiocesi di Avignone.
» » » Al sig. Boissy Luigi, della medesima arcidiocesi.
» » » Al sig. Buravent Gustavo Claudio, della medesima arcidiocesi.
» » » Al sig. Villanou Paolo M., della medesima arcidiocesi.
13 agosto » Al sig. Delon Lodovico, della diocesi di Tulle.
29 settembre 1950. Al sig. Kunen Carlo M., della diocesi di Breda.
4 ottobre » Al sig. Tholens Carlo Pietro, della diocesi di Haarlem.
24 gennaio 1951. Al sig. Bucci Tommaso, dell'arcidiocesi di Milano.
10 febbraio » Al sig. Giovannini Pietro, della diocesi suburbicaria di Palestrina.
20 » » Al sig. Toufik bey Marar, (Giordania).
21 » » Al sig. Mariotti Scevola, della diocesi di Pesaro.
13 marzo » Al sig. Greco Giuseppe, dell'arcidiocesi di Otranto.
» » » Al sig. Micheli Luigi, della medesima arcidiocesi.
» » » Al sig. Sergi Mario, della medesima arcidiocesi.
17 » » Al sig. Neglia Giuseppe, della diocesi di Acqui.
21 » » Al sig. Lori Alfredo (Roma).

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO

Recentissima editio, nova typica

BREVIARIUM ROMANUM

Ex decreto SS. Concilii Tridentini restitutum, Summorum Pontificum cura recognitum cum nova versione Psalterii Pii Papae XII auctoritate edita

VARIA HUIUS BREVIARII PRETIA

In 4 partes divisum, in 18° (cm. 10,5×16,5) cum nova Psalmorum versione Pii Pp. XII auctoritate edita — In charta indica avoriata — Typis clarissimis, rubris et nigris — In praecipuis partibus et festis principaliorибus imaginibus decoratum; spissum: cm. 2,5; pondus: 1 vol. relig.: gr. 420.

Psalmi Horarum pro Festis, Absolutiones, Benedictiones, Suffragia, Antiphonae finales B. M. V. Oratione Dominicarum. Verumtamen Preces ante et post divinum Officium, Ps. 44, Hymnus ambrosianus, cantica Benedictus, Magnificat ad uniuscuiusque voluminis initium inserta sunt.

Quodlibet Breviarium continetur in custodia ex charta spissa confecta.

Sine religationis pretii augmento, addi poterunt Propria Officia Dioeceseos vel Ordinis seu Congregationis; quae tamen ab tempore mittenda erunt.

Solutum Lit. 11.000 ($ 20) — A) Corio contectum cum sectione foliorum rubra Lit. 14.000 ($ 25.50) — B) Corio contectum cum sectione foliorum aurea Lit. 15.500 ($ 28) — C) Corio caprino contectum cum sectione foliorum aurea Lit. 16.500 ($ 30) — D) Corio caprino contectum cum sectione foliorum rubra-aurata Lit. 17.000 ($ 31) — E) Corio caprino optimo cum sectione foliorum rubra-aurata et ornamentis aureis decorato, Lit. 20.000 ($ 36.50). Tegumentum e corio factum ad unum volumen accomodatum. Lit. 1500 ($ 2.75).

BRUNO CARD. IOSEPH

CODICIS IURIS CANÒNICI INTERPRETATIONES AUTHENTICAE

seu responsa a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos data et in unum collecta, atque Romanorum Pontificum actis et Romanae Curiae decisionibus aucta.

Vol. I - ab anno 1917 ad annum 1935, in-8° (pag. VIII-228). — In It. L. 300. Extra It. $ 1.
Vol. II - ab anno 1936 ad annum 1950, in-8° (pag. VIII-120). — In It. L. 300. Extra It. $ 1.

BRUNO CARD. IOSEPH

ORDO IN CONCILIO PLENARIO SERVANDUS

anno 1946, in-8° (pag. 75). — In Italia L. 150. Extra Italiam $ 0,50.

Sac. ALAPHRIDUS OTTAVIANI

INSTITUTIONES IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

EDITIO TERTIA

Vol. I, **Ecclesiae constitutio socialis et potestas**, pp. XVI-452. 1947. Lib. 1000 ($ 2)
Vol. II, **Ecclesia et Status**, pp. VII-497. 1948. Lib. 1000 ($ 2)

COMPENDIUM IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

in usum Auditorum S. Theologiae, pp. VIII-504, Editio altera, iterum impressa, 1948
L. 800 ($ 1,60)

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO

DISCORSI E RADIOMESSAGGI DI SUA SANTITÀ PIO XII

XII

DODICESIMO ANNO DI PONTIFICATO — 2 MARZO 1950 - 1° MARZO 1951

UN VOLUME IN-8° DI PAGINE XVI-584 L. 2000 ($ 3,60)

DOCUMENTAZIONE DELL'AZIONE APOSTOLICA DEL SOMMO PONTEFICE ATTRAVERSO IL MAGISTERO DELLA PAROLA

VOLUMI PRECEDENTI DISPONIBILI: VI. 2 marzo 1944 - 1° marzo 1945 L. 500; VII. 2 marzo 1945 - 1° marzo 1946 L. 700; VIII. 2 marzo 1946 - 1° marzo 1947 L. 600; IX. 2 marzo 1947 - 1° marzo 1948 L. 1200; X. 2 marzo 1948 - 1° marzo 1949 L. 1200; XI. 2 marzo 1949 - 1° marzo 1950 L. 1200.

EDITIO NOVISSIMA

J. B. CAROL O. F. M., S. T. D.

DE CORREDEMPTIONE BEATAE VIRGINIS MARIAE

DISQUISITIO POSITIVA

in-8° pp. 630 Lit. 2000 ($ 4)

In America opus exclusive prostat apud: FRANCISCAN INSTITUTE – St. Bonaventure P.O. New York, U.S.A.

Scopus Auctoris in exaranda hac disquisitione nihil aliud fuit nisi revelationis fontes penitius et latius inquirere quam hucusque factum est relate ad doctrinam de cooperatione proxima B. V. Mariae ad ipsum opus redemptivum Christi. Materia pertractanda triplici sectione disponitur, sc.: *A*) de Corredemptione in S. Scriptura, ubi interpretatio mariologica Protoevangelii longe lateque excutitur; *B*) de Corredemptione iuxta Traditionis documenta, quinque capitibus subdivisa, in quibus copiosa perlustrantur testimonia SS. Patrum, scriptorum medii aevi, et theologorum saec. XVII, XVIII, XIX (plus quam 300 testimonia quarum haud pauca hucusque ignota); et *C*) de Corredemptione iuxta Magisterium Ordinarium, ubi de Summis Pontificibus necnon de Episcopis per orbem dispersis fuso calamo agitur. Ex omnium retro aetatum monumentis ostendit Auctor doctrinam de Corredemptione mariali, sicut hodie a longe maiori theologorum numero proponitur, proculdubio retinendam esse utpote omnino consonam tum Ecclesiae docenti tum Ecclesiae discenti. Disquisitio haec, amplissima omnium quae de hoc argumento hucusque exaratae sunt, studiosis omnibus valde commendatur ob methodum scientificam necnon ob ditissimas notas bibliographicas.

ORDO DIVINI OFFICII RECITANDI SACRIQUE PERAGENDI IUXTA CALENDARIUM UNIVERSALIS ECCLESIAE pro ANNO DOMINI BIXESTILI 1952

Lit. 280 ($ 0,50)